S. D. Clarissime D. cancellarie. Semper
vos propter ingenij praestantiam et virtutem
dilexi, multumque accessit ad meum erga
vos amorem in proximo nostro congressu,
in quo iudico vos bene meritos esse
de amico nostro Francisco, ut profiteor
me vobis gratiam debere. Nunc vobis
commendo hunc Brandenburgensem,
magistrum Martinum generum Laurentij
Gesneri qui in nostro oppido habitat.
Petivit a me literas hic Magister
Martinus tantum ut aditum ad vos
haberet faciliorem, ut ~~~~ causam suam
vobis exponere posset. Scio vos
honestis et literatis non deesse.
Ideo quaeso ut hunc, quantum iuste fieri
potest, autoritate et consilio vestro
iuvetis. Ego eum hortatus sum, ut consilio
vestro obtemperet. Bene et feliciter
valete. die 21 Septembris

Philippus Melanthon